

ratio gubernationis in supremo gubernante, necesse est quod omnes rationes gubernationis, que sunt in inferioribus gubernantibus a lege eterna deriventur.

Ad pleniorum hujus Corollarii intelligentiam duo breviter hic observanda sunt. Primum est, duplicem causalitatem legis eterna erga leges creatas posse distinguere.

Advertendum etiam, non omnes leges eodem modo ab eterna promanare, nam divina immediatius ab ea dimanant, cum sit ipsa lex eterna inadequate sumpta.

Colligitur quinto cum D. Thoma artic. 4. ejusdem questionis, quod cum lex eterna sit ratio divine gubernationis, quocumque divina gubernationi subduntur, subjiciuntur etiam legi eterna, que vero gubernationi divine non subduntur, neque legi eterna subduntur.

Advertendum tamen, operationes quibus irrationales creatura ad suos fines diriguntur, subjici legi eterna, non ut formaliter precipientis & obliganti, sed ut ordinanti & moventi ad suos fines, per proprias earum operationes, & nativas inclinationes, que sunt quasi leges creaturarum irrationalem, quibus intrinseco pondere in fines propter quos sunt create diriguntur.

Notandum etiam cum eodem Sancto Doctore ibidem artic. 6. illud esse discrimen inter bonos & malos, quod boni perfecti subdunt legi eterna, tamquam semper secundum eam agentes; mali autem imperfecti quidem, ex parte actionis; quatenus imperfectam habent cognitionem boni, & inclinationem ad illud; at perfecte ex parte passionis, quatenus scilicet patiuntur, quantum lege divina prescriptum est: Quo fit, ut nihil sit in hoc universo, etiam malum culpe, quod aeternam Dei legem subterfugiat.

ARTICULUS II.

Utrum lex eterna sit vere & proprie lex.

Negant Vasquez supra qu. 81. art. 1. & Lorca disp. 5. membro 2. pluresque alii Recentiores, existimantes legem aeternam non esse legem, nisi improprie & metaphorice, & per quandam analogiam & similitudinem ad legem vere & proprie dictam.

Dico breviter, legem aeternam esse vere, & proprie legem.

Patet ex supra dictis, nam D. Thomas legem aeternam numerat tamquam precipuam inter leges, & fontem ac exemplar omnium aliarum. Quare supra quest. 91. art. 2. ait quod lex naturalis nihil aliud est quam participatio legis eterna in rationali creatura; unde cum lex naturalis habeat vere & proprie rationem legis, a fortiori lex eterna erit vere & proprie lex.

Ratio etiam suffragatur: Nam lex proprie dicta nihil aliud est, quam quedam ordinatio rationis in bonum commune, ab eo qui curam habet communitatis promulgata; Sed lex eterna est hujusmodi: Ergo vere & proprie legis rationem habet.

Obijcies ergo primo cum Vasquez: Lex eterna nihil aliud est quam idea rerum in mente divina existentes: Atqui idea non habet vere & proprie rationem legis, sed tantum metaphoricę: Ergo & lex eterna. Minor constat ex dictis articulo precedenti.

Respondendo negando Majorem, longe enim diversa est ratio ideae in Deo, & legis eterna. Quod dicitur Vasquez, qui nec mentem Divi Thomę nec naturam divinarum idearum, neque legis eterna essentiam & quidditatem penetravit.

Obijcies secundo cum eodem Auctore: De ratione vere legis est promulgatio: Sed nulla lex potest ab aeterno promulgari: Ergo nulla est vere lex eterna. Major constat ex dictis disput. precedenti art. 5. Minor vero probatur ex eo quod nulla ab aeterno fuerit creatura, quibus aliqua lex promulgari poterit.

Sed, Liber vite nihil aliud est quam aeterna Dei scientia, & firma notitia, in qua res metaphorice dicuntur scriptę: Sed hæc notitia non potest habere rationem promulgationis: Ergo nec liber vite. Minor probatur, quia promulgatio debet fieri iis quibus lex imponitur; ab aeterno autem non fuerunt creatura quibus lex imponeretur, nec quibus promulgetur.

Si autem dicas cum D. Thoma ibidem in respons. ad 1. quod licet creatura non fuerint ab aeterno in se ipsis, & in propria mensura, fuerunt tamen apud Deum presentes ab aeterno in mensura aeternitatis, quod sufficit, ut quantum est ex parte Dei fiat eis legis eterna promulgatio. Contra hanc responsionem instat Vasquez, eamque infringere conatur, tum ex eo quod presentia illa rerum futurarum in aeternitate, fictitia omnino videtur, & a Thomis excogitata: Tum etiam, quia tamen gratis admittatur, non sufficit ut aliqua lex dicatur fuisse creaturis ab aeterno promulgata; alioquin (inquit) lex Mosaica, quam dedit Deus in monte Horeb, potuisset dici lex eterna, vel ab aeterno promulgata, quia populus ille, tonitrua, & reliqua cum quibus facta est promulgatio illius in tempore, fuerunt etiam presentia aeternitati.

Addit Vasquez, quod promulgatio legis debet esse opus extra Deum, quod non dicitur simpliciter fieri ab aeterno, sed tantum in tempore: Ergo quantumcumque creaturae sint presentes Deo in aeternitate, hoc non sufficit ut ab aeterno dicatur lex aliqua illis promulgata.

Huic

Huic objectioni, que precipua Vasquez, & aliorum Recentiorum fundamenta continet, quibus moventur ad negandum legem aeternam vere & proprie rationem legis habere: Respondeo primo, promulgationem esse solum conditionem intrinsecam ut lex obliget in actu secundo, non vero ut habeat rationem legis, & sit obligativa in actu primo, ut disputatione precedenti articulo 5. ostensum est. Unde argumentum illud Vasquez solum probat legem aeternam, defectu promulgationis, non potuisse obligare creaturas ab aeterno; non convincit tamen, eam ab aeterno non habuisse vere & proprie rationem legis; quinque obligandi creaturas in tempore producendas, subindeque objectio illa sponte corruit, & in fumum & auras evanescit.

Respondendo secundo, promulgationem legis posse considerari ex parte ipsius legislatoris promulgantis, & ex parte subditi cui promulgatur, posseque contingere, quod prius existat in legislatore promulgante, quam in subdito cui promulgatur; immo de facto ita contingere, etiam in humanis, cum videamus prius promulgari legem in curia a legislatore, & postea de curia alicujus temporis, pervenire ad subditos. Sic igitur dicendum est de lege eterna, eam scilicet ex parte Dei fuisse promulgatam ab aeterno, ad creaturam autem non pervenisse hujusmodi promulgationem, nisi in tempore. Unde ad objectionem in forma respondeo, data Majori distinguendo Minorem: Nulla lex potest ab aeterno promulgari, promulgatione se tenente ex parte creaturarum, concedo Minorem. Promulgatione se tenente ex parte Dei supremi legislatoris, nego Minorem & Consequentiam. Unde optima est responsio D. Thomę, dicens ex parte Dei promulgationem legis eterna factam esse Verbo Divino, & Scriptura libri vite, quamvis ex parte creaturarum fuerit solum facta in tempore.

Ad primam vero illius impugnationem, respondeo, data etiam Majori, negando Minorem, & ad illius probationem dico, quod licet Verbum Divinum sit aliquid personale, illo tamen exprimitur non solum quod personale est in Deo & relativum, sed etiam quod est absolutum, tam necessarium, quam liberum, immo ipsa Dei opera illi declarantur, ut docet Divus Thomas hic art. 1. ad 2. ex Sancto Augustino libro 15. de Trinit. cap. 14. Unde illa expressio legis eterna facta Verbo, proprie habet rationem promulgationis ex parte Dei, quantumcumque lex sit aliquid absolutum in Deo, Verbo autem aliquid relativum.

Ad secundam de libro vite, transeat Major, & negatur Minor. Ad probationem illius dico quod ex eo quod creatura non fuerit ab aeterno, solum inferitur quod promulgatio, ut se tenet ex parte creaturarum non potuerit esse ab aeterno, non vero ut se tenet ex parte Dei; nam ut fit ab aeterno prout se tenet ex parte Dei, sufficit & requiritur quod creatura futura sit Deo presentes ab aeterno in aeternitate, non vero existit quod sit ibi presentes in seipsis, & in propria mensura. Ratio est, quia Deus non promulgavit legem aeternam, ut creaturae liberarentur sibi ab aeterno, sed ut sibi subicerentur in tempore pro quo erant futura in propria mensura. Unde non requiritur quod fuerit ab aeterno in seipsis, sed sufficit quod fuerit ab aeterno in mensura aeternitatis, & quod ab aeterno fuerit cognita & ordinata per legem aeternam.

Ad instantiam in contrarium dicendum, presentiam futurorum contingentium in aeternitate, verissimam esse, & passim doceri a SS. Patribus, & a D. Thoma, ut in Tractatu de scientia Dei disput. 4. artic. 7. fuse ostendimus, eamque, si admittatur, sufficere ut lex promulgetur ab aeterno ex parte Dei, licet non ex parte creaturarum. Ex eo tamen non sequitur, ut obijcit Vasquez, quod lex Mosaica possit dici lex eterna; licet enim tam lex illa, quam tonitrua, populus, &c. fuerint a Deo presentia in aeternitate, ipsa tamen lex exterius data illi populo, in tempore data fuit, considerata in seipsa; unde non potest dici aeterna, licet potuerit dici presens Deo in aeternitate. Ratio autem gubernationis rerum in Deo existens, in seipsa fuit ab aeterno, respiciens creaturas futuras in tempore, & Deo presentes in aeternitate: & sic jure optimo dicitur lex eterna.

Ad id quod additur, Respondeo promulgationem, ut se tenet ex parte creaturarum, esse opus ad extra, subindeque non esse ab aeterno, sed in tempore; ut autem se tenet ex parte Dei, esse actum liberum pertinentem ad imperium intellectus divini, & sic non posse non esse ab aeterno.

Quæres, quomodo lex eterna creaturis existentibus in tempore promulgetur?

Respondeo eam creaturis intellectualibus promulgari per quamdam impressionem luminis in intellectu, juxta illud Psalmi 4. Signatum est super nos lumen vultus tui Domine, creaturis vero ratione carentibus promulgari per impressionem inclinationis & instinctus naturalis: quia lex eterna promulgatur creaturis secundum modum illis convenientem;

Primus autem modus promulgationis convenit creaturis intellectualibus, alter vero rebus naturalibus; & creaturis ratione carentibus, qua solo instinctu & inclinatione innata tendunt in suos fines.

Notandum tamen, quod impressio illa inclinationis seu principii activi in creaturis irrationalibus, dupliciter potest considerari; primo per modum regulę proximę operationis, secundo per modum applicationis legis eterna ipsi creaturae irrationali. Primo modo considerata, habet rationem legis eterna participative, ut est in mensurata & regulato per illam; secundo autem modo habet rationem promulgationis ejusdem legis.

Obijcies tertio cum Lorca: Lex eterna non minus gubernat & comprehendit creaturas irrationales, quam ratione preditas, omnes enim æque huic legi subjiciuntur, ut docet D. Thomas hic art. 4. & 5. Sed creaturę irrationales non sunt capaces legis vere & proprie dictę, cum sint precepti incapaces: Ergo lex eterna non est vere & proprie lex, sed metaphorice tantum & improprie.

Propter hoc argumentum Suarez lib. 2. de legibus cap. 2. 27 Serra hic artic. 3. dubio unico in respons. ad 5. & Aravius hic artic. 2. censent, quod licet lex eterna respectu creaturarum rationalium, quibus modo intelligibili notificatur, exerceat rationem & manus vere legis, tamen respectu irrationalium, quibus non modo intelligibili, sed per impressionem inclinationis & activi principii, quo moventur ad suos fines, notificatur & promulgatur, non exercet rationem ac manus vere & proprie legis, sed tantum quoddam providentię, sive principii gubernationis.

Alii vero existimant, legem aeternam, non solum quatenus est directiva actuum liberorum creaturarum intellectualium, sed etiam quatenus est directiva actuum & motuum necessariorum creaturarum irrationalium, vere & proprie rationem legis habere, quamvis ut est directiva actuum liberorum creaturarum intellectualium specialissime, & perfectiori modo rationem legis exerceat; licet enim (inquunt) promulgatio specialissime dicta, solum dicatur per ordinem ad creaturas intellectuales promulgatio tamen absolute dicta, per comparisonem ad omnes creaturas dicitur; hæc enim nihil aliud est, quam impressio alicujus principii directivi operationis creaturę: sicut promulgatio specialissime dicta, est impressio principii directivi operationis moralis: qualibet autem creatura participat a lege eterna principium directivum suę operationis, ac proinde qualibet participat suam promulgationem debitam & proportionatam suę naturę. Unde ad objectionem, juxta hunc modum dicendum, respondeatur, concessa Majori, negando Minorem, & ad illius probationem dicendum, quod præceptum est duplex: aliud morale, quod est regula operationum moralium creaturę rationalis; aliud naturale, per intimationem naturalem, que fit ex impressione principii motivi in ordine ad finem, juxta illud Psalm. 148. Præceptum posuisti, & non præscribitis, & illud Prov. 8. Cum legem ponebas aquis, ne transirent fines suos. Creaturę igitur irrationales licet sint incapaces precepti primo modo sumpti, non tamen precepti secundo modo accepti; ideoque vera lex eis imponi potest, quia non expostulat alium modum precepti, nisi loquamur de lege specialissime dicta, prout ad creaturas rationales dirigitur.

Uterque dicendi modus probabilis est, licet primus videatur probabilior, & menti D. Augustini & S. Thomę conformior, cum ille quest. 64. in Levit. & habetur in cap. Malier 15. quest. 1. asserat irrationalia esse incapacia legis proprie dictę: iste vero supra quest. 90. art. 1. dicit, quod lex proprie dicta est mensura humanorum actuum, subindeque rationem vere & strictę legis, respectu creaturarum irrationalium, quę sunt incapaces humanorum actuum, non videatur agnoscere.

DISPUTATIO III.

De Lege naturali.

Ad questionem 94. Divi Thomę.

Cum leges omnes a lege eterna deriventur, sintque illius participationes & manifestationes; primum quod eam nobis evidenter manifestat est lex naturalis, ideoque hæc ante alias explicanda est, & de ejus essentia, seu ratione formali, extensione, ac immutabilitate, breviter hic disputandum.

ARTI.



ARTICULUS PRIMUS.

Quid sit lex naturalis, seu in quo formaliter consistat.

§. I.

Præmittitur quod apud omnes est verum, & referuntur sententia.

1 Ari legem naturalem in nobis; constat ex Apostolo ad Roman. a. dicente, Habemus legem scriptam in cordibus nostris. Et paulo post: Genes que legem non habent, naturaliter ea que legis sunt faciunt, & ostendunt opus scriptum in cordibus suis, & sunt sibi ipsi lex, testimonium illis reddente conscientia. Item Psalm. 4. ait Propheta, Multi dicunt, qui ostendit nobis bona? Statimque respondet: Si gnatum est super nos lumen vultus tui, Domine. Quod de lumine naturalis rationis quo discernitur quid sit bonum & quid malum, quodque pertinet ad legem naturalem, interpretatur D. Thom. supra qu. 91. art. 2.

Huc spectat quod habet August. a. Confess. cap. 4. Lex tua, Domine, in cordibus hominum scripta est, quam nec ulla unquam delicta aut delicta iniquitas, Et in Psal. 57. Veritatem manu formata in cordibus nostris scripta: Quod tibi fieri non vis, alteri ne feceris. Hoc ignorare nemo permittitur, etiam antiquam legem dicitur. Item lib. 2. de ferm. Domini in monte cap. 9. ait: Nullam animam esse que ratiocinari possit, in cuius conscientia non loquatur Deus. Quis enim legem naturalem in cordibus hominum scribit nisi Deus? Ad idem pertinet quod ait Ambrosius lib. 9. Epist. 71. Ea lex (inquit) non inscribitur, sed insuscipitur, nec aliqua percipitur lesione, sed pro quo natura fonte in singulis exprimitur. Demum Tullius lib. de legibus, summa eloquentia, & pene divina voce, ut loquitur Lactantius, legem hanc naturalem depinxit: Est quidem (inquit) vera lex, recta ratio, natura congrua, diffusa per omnes, constant, sempiterna, que vocat ad officium jubendo, vetando, a frando deterrere. Hinc igitur legi, nec protergari fas est, neque derogari aliquid licet. Nec vera abrogari potest. Nec vero per senatum, aut per populum solvi hac lege possumus: nec est querendus explinator aut interpret alius. Non erit alia lex Roma, alia Athenis, alia nunc, alia posthac, sed & omnes gentes, & omni tempore una lex & sempiterna, & immutabilis continet: unquamque erit communis quasi magister & imperator omnium Deus.

2 Ratio etiam suffragatur, si enim datur in nobis lumen naturale pro rerum speculabili cognitione, multo magis dabitur pro rerum agendam notitia & iudicio.

Confirmatur: Omnis creatura debet suum finem consequi posse: At nulla creatura rationalis suum finem consequi potest absque lege naturali: cum illum non possit consequi, nisi per rectam operationem, nec recte operari sine lege naturali, a qua in suis operationibus dirigitur; Ergo datur talis lex in creatura rationali.

3 Hoc supposito, difficultas & controversia est inter Theologos, in explicando quid sit lex illa naturalis, seu in quo formaliter consistat? Vasquez enim 1. 2. disput. 180. cap. 3. & Meratius disp. de legibus sect. 1. docent legem naturalem esse ipsammet naturam rationalem secundam actione, quatenus ratione sue essentia talis est, ut aliquæ actiones sint illi moraliter convenientes, & honestæ: alie repugnant & indecentes, Alensis vero 3. p. quest. 27. membro 2. & D. Bonavent. in 2. dist. 39. art. 2. quest. 1. existimant legem naturalem esse habitum, quo nomine non intelligunt qualitatem acquisitam & superadditam potentie, sed ipsum lumen intellectuale prout in actu primo spectatur, & est vis discernendi honesta & turpia moraliter. Alii legem naturalem collocant non in habitu, sed in actu; inter quos adhuc magna est dissensio: Ariminensis enim, Gabriel, Almainus, affirmant, legem naturalem esse dictamen rationis indicantis & ostendens quid consentaneum aut dissentaneum sit nature rationali, docentque talem legem non esse imperantem, sed indicantem, eo quod nullum includat superioris imperium. Thomista vero, Suarez, Valentia, Azorius, Salas, & alii, censent legem naturalem non in dictamine solum offensivo boni & mali, sed etiam præceptivo, consistere, esseque actum imperii, nos ad ea que tali lege præscripta sunt obligantis.

§. II.

Rejiciuntur tres primæ sententiæ, & quarta statuitur.

1 Dico primo: Lex naturalis non consistit in ipsa natura rationali, quatenus ratione sue essentia talis est, ut aliquæ actiones sint illi moraliter convenientes & honestæ, alie repugnant & indecentes.

2 Probatur primo: Lex naturalis est vere & proprie lex, omnes enim Philosophi & Theologi loquuntur de illa tamquam de vera & propria lege: Sed ipsa natura rationalis

præcise sumpta, non potest dici vere & proprie lex: Ergo lex naturalis in ea consistere nequit. Major constat, Minor probatur. Lex est aliquid rationis; id est actus intellectus practicus, aut aliquid constitutum per ipsum, ut disp. 1. art. 1. ex D. Thoma ostendimus: Sed natura rationalis non est actus intellectus, aut aliquid constitutum per ipsum: Ergo natura rationalis præcise sumpta, non potest dici vere & proprie lex.

3 Probatur secundo: Effectus legis naturalis, quales sunt dirigere, illuminare, obligare, & esse regulam humanarum actionum, immediate proveniunt a dictamine rationis: Ergo non in ipsa natura rationali, sed in dictamine rationis, consistit lex naturalis. Consequentia patet, quia in illo essentialiter consistit lex, quod immediate tribuit proprios effectus legis. Antecedens vero probatur, nam ante dictamen rationis quo indicatur vel ostenditur aliquid esse bonum vel malum, non obligatur homo moraliter, nec ejus operationes dirigitur aut regulatur in esse moris, ut de se patet, & constat in his qui usu rationis carent.

4 Probatur tertio: Lex debet distingui ab eo cui imponitur, sicut id quod obligat, ab eo quod obligatur: Sed natura rationalis, cum sit ipsa essentia & natura hominis, non distinguitur ab homine: Ergo non potest esse lex naturalis respectu illius.

5 Demum probari potest conclusio, destruendo præcipuum fundamentum adversæ sententiæ: Idcirco enim Vasquez & Meratius legem naturalem in ipsa natura rationali consistere volunt, quia (inquirunt) ipsa natura rationalis est fundamentum & mensura legis naturalis, & honestatis ipsius, quatenus quæcumque præcipit aut prohibet lex naturalis, per se decet aut dedecet naturam rationalem: Sed hæc ratio nulla est: Ergo ruit præcipuum fundamentum adversæ sententiæ. Minor probatur: Quidquid est fundamentum & mensura legis aut honestatis, non est propterea lex; nam v. g. felicitas publica est mensura & fundamentum legum humanarum, neque propterea est ipsa lex humana. Indigentia pauperum est fundamentum & mensura legis aut præcepti faciendi elemosynam, sed non propterea est ipsa lex. Addo quod, si natura rationalis esset lex actu nostrorum, eo quod illam decet, sequeretur pari modo naturam divinam esse legem actum divinorum liberorum, quia pariter tales actus illam decet: Sed hoc dici nequit, cum nullas Patrum vel Doctorum se loquatur: Ergo nec illud.

6 Dico secundo, lex naturalis non est ipsum lumen intellectuale in actu primo, seu vis discernendi honesta & turpia. Hæc conclusio patet ex dictis in precedenti, ostendimus enim legem naturalem consistere in ordinatione seu dictamine rationis: At ordinatio seu dictamen rationis non est ipsum lumen intellectuale in actu primo, sed actus secundus potentie intellectivæ: Ergo lex naturalis non est ipsum lumen intellectuale in actu primo, seu vis discernendi honesta & turpia. Addo quod, Deus habet lumen sibi conaturale, quo perfectissime cognoscit quæcumque honesta & turpia, & tamen non habet legem proprie dictam: Ergo tale lumen habituale non est proprie lex naturalis: si enim esset lex naturalis respectu nostri, esset etiam respectu Dei.

7 Dico tertio, lex naturalis non consistit in dictamine & iudicio solum offensivo boni & mali, sed etiam præceptivo, nimirum in actu imperii ad ea que tali lege præscripta sunt obligantis.

8 Probatur primo: Lex naturalis est vere & proprie lex, omnes enim Philosophi & Theologi, ut supra dicebamus, de ea ut de vera & propria lege loquuntur: Ergo non consistit in iudicio solum offensivo boni & mali, sed etiam præceptivo. Consequentia patet, tum quia de ratione legis vere & proprie dictæ est præcipere, cum sit actus prudentiæ, quæ præceptiva est; unde illa constituit formaliter in actu imperii, ut disp. 1. art. 1. declaravimus. Tum etiam, quia lex vere & proprie dicta, est regula & mensura bonitatis aut malitiæ moralis actus humani, ut docet D. Thomas supra qu. 90. art. 1. Sed iudicium solum offensivum boni & mali, non potest esse regula & mensura bonitatis aut malitiæ moralis actus humani; quia indicat illam; regula autem & mensura aliquid regulat & mensurat, non potest supponere rectitudinem & commensurationem cum illo, aut obliquitatem & difformitatem, cum talis rectitudo & obliquitas dependant a regula & mensura: Ergo &c.

9 Confirmatur primo: Quando homo peccat contra legem humanam, præcedit iudicium offensivum malitiæ illius actus, & tamen huiusmodi iudicium non habet rationem legis, ut de se constat: Ergo similiter quando peccat contra legem naturalem, licet præcedat iudicium offensivum malitiæ illius actus, tamen tale iudicium, ut præcise & formalissime loquendo solum est offensivum illius malitiæ, non habet rationem legis.

10 Confirmatur secundo: Deus habet iudicium offensivum eorum, quæ decet aut dedecet suam naturam contra quod

quod ipse non potest operari, & tamen non habet legem proprie dictam: Ergo si lex naturalis sit vere & proprie lex, non potest consistere formaliter in dictamine & iudicio solum offensivo boni & mali, seu eorum quæ decet aut dedecet hominis naturam.

11 Probatur secundo conclusio: Lex naturalis nihil aliud est, quam participatio legis æternæ in creatura rationali, ut docet D. Thomas qu. 91. art. 2. Ergo non consistit in dictamine & iudicio solum offensivo boni & mali, sed etiam præceptivo. Consequentia patet, quia lex æterna, prout sic, est præceptiva: Ergo id quod per modum legis participat illam, participat essentialiter vim precipiendi.

§. III.

Solvuntur Objectiones.

12 Obijcies primo contra primam conclusionem: Sunt aliquæ operationes ita intrinsece male ex natura sua, v. g. odium Dei, ut nullo modo pendeat malitia earum ex dictamine intellectus: & alie ita intrinsece bonæ ex natura sua, v. g. honorare Deum, ut in sua bonitate non dependeat a iudicio intellectus: Ergo dictamen rationis naturalis non habet rationem legis respectu illarum, sed ab ipsa natura rationali, cui convenientes aut disconvenientes sunt.

13 Confirmatur: Præcepta legis naturalis non continentur in aliquo dictamine libero humani aut divini intellectus: Ergo nullum tale dictamen habet rationem legis naturalis, subindeque ipsa natura rationalis in qua continentur ut illi conformia, rationem legis naturalis habebit. Consequentia patet, quia præcepta legis naturalis in lege naturali contineri debent, sicut præcepta artis continentur in arte. Antecedens vero probatur: Præcepta naturalia habent in se necessariam connexionem ex terminis, ut bonum est faciendum, malum est vitandum: Ergo independenter ab aliquo dictamine libero intellectus humani aut divini sunt talia, subindeque non continentur in tali dictamine. Patet consequentia, quia quæ habent necessariam connexionem ex terminis, independentia sunt ab aliquo dictamine libero etiam divini intellectus, ut patet in creaturis possibilibus, quæ quæ necessarium habent connexionem cum suis principis essentialibus & quidditativis, independentes sunt ab aliquo iudicio libero, etiam divini intellectus; unde non cognoscuntur a Deo per scientiam visionis, sed per scientiam simplicis intelligentiæ, ut in Tractatu de scientia Dei declaravimus.

14 Ad objectionem respondeo, in actibus intrinsece malis, vel intrinsece bonis, duplicem bonitatem & malitiam reperiri, aliam in esse nature, aliam in esse moris, primamque non desumi per ordinem ad aliquam legem, sed pernes convenientiam aut disconvenientiam ad naturam rationalem, ut intelligitur habere inclinationem ad bonum consideratum in esse nature, antecedenter ad omnem legem; secundam vero sumi proxime quidem per ordinem ad dictam rationis naturalis, remote vero per ordinem ad legem æternam, & sic dictamen rationis naturalis, ut est participatio quædam legis æternæ, habet rationem legis naturalis, in ordine ad illos actus.

15 Ad confirmationem, nego Antecedens, & ad illius probationem dico quod præcepta naturalia, ut bonum est faciendum, malum est vitandum, possunt dupliciter considerari; uno modo per modum quidditatis & cuiusdam essentie possibilis, & sic nullam dependentiam habent ab aliquo dictamine libero etiam intellectus divini, sicut alie creature possibilis, sed prout sic præsupponuntur ad illud, subindeque a Deo cognoscuntur per scientiam simplicis intelligentiæ. Alio modo possunt considerari per modum exercitii, quatenus scilicet procedunt a Deo in ordine ad obligandam creaturam rationalem ad recte operandum, & sic dependent a dictamine practico intellectus divini, & continentur in dictamine rationis creaturæ rationalis, quod est participatio quædam divini dictaminis.

16 Obijcies secundo: Si lex naturalis non consisteret in ipsa natura rationali secundum se & secundum suam practicam quidditativam considerata, sed in aliquo dictamine libero Dei, vel in aliqua illius participatione, sequeretur Deum potuisse non præcipere homini actus honestos naturaliter necessarios, ut amare Deum, parentes colere, & non prohibere illi actus intrinsece malos, ut mendacium, furtum, & odium Dei, subindeque hominem posse sine culpa omittere primos actus, & elicere secundos, cum nihil sit peccatum, quod non sit contra legem; ut constat ex definitione peccati, quæ communiter circumfertur ex Augustino: Sed hoc videtur absurdum: Ergo & illud. Sequela Majoris videtur manifesta, nam omne dictamen liberum potuit non esse in Deo: Ergo si lex naturalis sit aliquid dependens a dictamine libero Dei, & non ipsa natura rationalis, potuit Deus per talem legem non præcipere homini actus honestos naturaliter necessarios, & non prohibere actus intrinsece malos.

17 Respondeo negando sequelam Majoris, & ad illius probationem dico, quod licet Deus absolute potuerit non habere dictamen, quo præcipere homini actus honestos naturaliter necessarios, & illi prohibere actus intrinsece malos: ex suppositione tamen voluntatis creandi naturam rationalem, & eam gubernandi, non potuit non velle prohibere tali creature actus intrinsece malos & præcipere actus honestos naturaliter necessarios. Sicut enim posito actu libero promittendi, necessitatur ad actum implendi promissum, & posita voluntate revelandi aliquid, necessitatur ad revelandum verum; ita supposita voluntate creandi & gubernandi hominem, necessitatur ad sapienter regendam creaturam intellectualem a se conditam, & ad curandum ut vivat conformiter sue nature: non potest autem illam recte gubernare, nisi prohibendo actus malos qui repugnant fini ad quem ex natura sua ordinatur, & precipiendo actiones liberas intrinsece bonas, quæ ex natura sua habent necessariam connexionem cum illo.

18 Obijcies tertio contra secundam conclusionem: Lex naturalis semper manet in cordibus nostris; unde Apostolus & SS. Patres supra relati dicunt eam esse scriptam in cordibus hominum: Ergo illa non consistit in actu, qui fluit, & transit, sed in habitu, seu in lumine intellectuali in actu primo considerato, quod durat & permanet.

19 Confirmatur: Lex humana, non solum ut est actuale iudicium legislatoris, aut subditi, sed etiam ut est permanens signum in aliqua scriptura, aptum ad excitandum talem cognitionem, dicitur lex: Ergo pariter lex naturalis, non solum ut est actuale iudicium, sed lumen ipsum rationis in actu primo, ex se aptum ad tale iudicium excitandum, vera lex dici potest.

20 Ad objectionem respondeo, quod sicut licet conscientia formaliter sit actus quidam rationis, seu actualis notitia, ut ipsum nomen præ se fert, & Tullius docet libro de senectute, ubi sic ait: Conscientia est bene acta vita, malitiosaque conscientiam vocantur iudicandissima; tamen quandoque a Patribus accipitur in sensu casuali, & significatur nomine sui principii, scilicet habitus synderesis, ideoque ab Hieronymo appellatur synderesis, a Basilio naturale iudicium, & a Damasceno lux nostri intellectus: ita lex naturalis, quamvis formaliter sit actus vel opus rationis, tamen interdum accipitur a Patribus in sensu casuali, pro ipso lumine naturali intellectus, & habitu synderesis, subindeque dicitur manens, & scripta in cordibus nostris.

21 Ad confirmationem, concessio Antecedens, nego consequentiam, & paritatem, nam lex humana scripta perseverat in scriptura per modum actus secundi habitualiter permanentis, in quo ut in signo conservatur iudicium legislatoris; in lumine vero intellectualem lex scripta remanet solum per modum actus primi, qui sicut non sufficit ad legem constituendam, ita nec ad eam conservandam.

22 Obijcies quarto contra tertiam conclusionem: Lex naturalis non est præceptum hominis ad alium, nec ad seipsum, neque Dei ad homines: Ergo non est præceptiva, sed solum offensiva boni & mali. Consequentia patet a sufficienti divisione. Antecedens vero, quoad primam & secundam partem, manifestum est, quia præceptum hominis ad alium, pertinet ad legem humanam; imperium autem hominis ad seipsum, respectu suarum actionum, non habet veram rationem legis, cum lex sit superioris ad subditum, & nemo sit superior sibi ipsi. Probatur vero quoad tertiam partem, primo quia præceptum quo Deus aliquid hominibus præcipit, pertinet ad legem divinam, quæ secundum D. Thomam distinguitur a lege naturali. Secundo, quia secluso quocumque præcepto Dei, dictamen rationis naturalis, in quo consistit lex naturalis, dicitur quid sit bonum, quid malum: Ergo lex naturalis non est præceptiva præcepto quo Deus aliquid hominibus præcipiat.

23 Respondeo, concessio Antecedens, quoad primam & secundam partem, negando illud, quantum ad tertiam: Deus enim non solum sua lege æterna, sed etiam lege naturali, quæ est participatio legis æternæ in creatura rationali, præcipit hominibus ne furentur, ut parentes honorent, & alia huiusmodi, quæ sunt de lege nature. Ad primam vero probationem in contrarium, dicendum est legem naturalem esse legem divinam, dicendum est legem naturalem esse legem divinam, ut docet Damascenus lib. 4. de fide cap. 33. ubi sic ait: Lex Dei nostri mentis nostram incendens, eam ad se pertrahit, conscientiamque nostram volutat, quæ & ipsa mentis nostra lex dicitur. Si vero querat, ad quam Dei legem lex nature pertinet? Respondeo illam pertinere ad legem Dei æternam; Licet enim lex æterna & naturalis distinguantur plus quam genere, si in esse rei considerentur, quia lex æterna est aliquid increatum, & ipse Deus, lex vero naturalis est aliquid creatum, nempe aliqua participatio legis æternæ in creatura rationali: si tamen considerentur in ratione legis & mensuræ humanorum actuum, non sunt aliquid diversum, quia utraque respicit eundem humanum actum, ut mensurabilem ab eis, ordine quodam: primario a lege æter-



eterna, & secundario a lege naturali. Sicut virtus Dei...

Ad secundam probationem, nego Antecedens, cum enim...

§. IV.

Covellaria notata digna.

EX dictis colligitur, hae tria, quae alias eadem putari...

Colligitur secundo contra Lorcam & Montefino, legem...

Colligitur tertio, Legem naturalem esse veluti partem...

Colligitur quarto, Legem naturalem esse in se simpliciter...

ARTICULUS II.

Utrum omnia praecepta Decalogi omnesque actus virtutum...

Quidam Jurisperiti asserunt sub lege naturali contineri...

Potest hae conclusio, quoad utramque partem, hoc exemplo...

§. I.

Utraque difficultas duplici conclusione resolvitur.

Dico primo, omnia praecepta Decalogi (excepto tertio de...

Probatur primo ex definitione juris naturalis, quod tenet...

Probatur secundo ex differentia quae reperitur inter legem...

Dico secundo, omnes actus virtutum esse de lege naturae...

Secundum vero ex eo probatur, quod multa secundum virtutem...

Potest hae conclusio, quoad utramque partem, hoc exemplo...

§. II.

quod est virtuosae operari. In tantum igitur dicimus, actus...

Ad confirmationem nego sequelam Majoris, & ad illius probationem...

Obijcies tertio: Non omnia peccata sunt contra legem naturam...

Respondendo distinguendo Antecedens: Non sunt contra naturam...

Observandum est ex D. Thom. hic art. 2. in natura hominis...

Quaerit D. Th. hic art. 4. utrum lex naturae sit una apud omnes...

ARTICULUS III.

An possit dari ignorantia invincibilis juris naturalis, seu praeceptorum legis naturae?

Pro resolutione hujus celeberrimae difficultatis, observandum est...

Dico, non posse dari ignorantiam invincibilem & inculpabilem...

Prima & secunda pars hujus conclusionis docetur ex-45 preste a D. Thom. hic q. 94. art. 6. ubi sic dicitur: Ad legem naturalem...



impeditur applicari terminum principium ad particulare operabile, propter concupiscentiam, vel aliquam aliam passionem. Quorum vero ad alia precepta secundaria, potest lex naturalis deleri de cordibus hominum, vel propter malas personales (debet quod etiam in speculativis erroribus contingit circa conclusiones necessarias) vel etiam propter pravitatem consuetudinis & habitus corruptos; sicut apud quosdam non reputantur lacrimas peccata, vel etiam vitia contrarium, ut Apostolus dicit ad Rom. 1. Ex quibus probata manent duae primae partes nostrae conclusionis. Nam prima & universalissima precepta legis naturae, sunt cuiuslibet iustitiam, cum sint prima principia synderesis: Unde Augustinus concione 25. in Psalm. 118. dicit quod nullus sanctorum ea ignorare. Et in Psalm. 57. loquens de illo legis naturalis primo principio, quod tibi fieri non vis, aliter ne feceris, ait quod illud manu formatoris nostri in ipsis cordibus veritas scripsit. Hoc & antequam lex daretur, nemo ignorare permisit, ut esset unde iudicaretur & quibus lex non esset data. Sed ne sibi homines aliquid desuisse quererent, scriptum est in tabulis quod in cordibus non legébant; non enim & scriptum non habebant, sed legere volebant. Ergo de primis & universalissimis preceptis legis naturae non potest dari ignorantia invincibilis.

Quod vero non possit etiam dari de secundariis, quae ex illis per facilem discursum deducuntur, patet etiam ratione D. Thomae, quia est aliqua gentes talia precepta ignorant, existimantes licitum esse furari, & fornicari, tamen haec ignorantia vincibilis & culpabilis est (non ex eo quod per peccatum primi parentis in hominum mentes invecita sit, ut docet Iansenius) sed quia oritur ex propria hominis culpa, nempe ex prava consuetudine, & habitibus corruptis, ob quos in eam opinionem quos adducitur, ut credat illud esse licitum, quod illicitum esse cernebat, & cito iudicaret, nisi esset pravorum affectuum tenebris obnubilatus, & excoecatus, & nisi peccatis quae contra legem naturalem committit divina illuminationi, & legis naturalis radiis, obscurationem culpabilem poneret. Nam ut ait D. August. lib. 2. de serm. Domini in monte c. 3. Deus semper paratus est dare suam lucem nobis; non visibilem, sed intelligibilem & spiritivalem, sed nos non semper parati sumus accipere, cum inclinamus in alia, & rerum corporalium cupiditate tenemur. Cui concinit fidelissimus eius Discipulus S. Th. q. 3. de malo art. 7. his verbis: Deus quantum in se est, omnibus sese communicat, pro capite etiam; unde quod res aliqua a participatio hominis ipsius desinat, est ex hoc quod in ipsis invenitur, aliquid impedimentum participatio divina. Sic ergo quod gratis dicitur non apponitur, non est causam. Deus, sed ex eo quod ipse cui gratia non apponitur, impedimentum erit praesens, in quantum avertitur a non avertente se habuit, ut Dionysius dicit. Similia habet 3. cont. Gent. cap. 159.

Ex his probata manent tertius pars conclusionis: Ideo namque dari nequit ignorantia invincibilis preceptorum primi & secundi generis, quia illa sunt cuiuslibet immediate, & per se nota, utpote prima principia synderesis; illa vero sine magno labore per facilem discursum immediate ex illis deducuntur: At precepta legis naturalis, a primis remotissima, nec sunt immediate & per se nota, non constat, nec ab illis nisi magno labore & discursu difficili deducuntur: Ergo possunt invincibiliter ignorari a rusticis & indoctis, qui huiusmodi discursus sunt incapaces, & qui a Praelatis, Confessoribus vel Doctoribus, non possunt interdum instrui, & scire, an talia precepta sint de iure naturae, & obligent indispensabiliter, tum quia non possunt semper illos adire: tum etiam quia interdum hoc ab illis ignoratur, cum de hoc inter Magistros & Doctores saepe fit litis & controversia, aliis affirmantibus, aliis negantibus. Unde Medina in 2. 2. q. 76. art. 2. sic ait: Cetera precepta naturalia quae eliciuntur ex preceptis Decalogi per consequentiam non valde evidenter, potest esse ignorantia invincibilis per multum tempus &c. Mercorus etiam Inquisitor Mantuanus, in libro de praxi opinionum, docet posse dari aliquam ignorantiam invincibilem juris naturalis. Cui subscribit Vincentius Baronius in posteriori parte manductionis ad morale Theologiam disp. 4. sect. 1. §. ultimo.

Ratio etiam id suadet: Lex enim vim obligandi non habet, nisi applicetur hominibus per promulgationem, seu intimationem, ut supra declaravimus: Sed lex naturalis non intinatur nec promulgatur omnibus hominibus, quantum ad omnia precepta quae continent, nimirum quantum ad illa quae sunt remotissima a primis preceptis universalissimis, quae sunt prima principia synderesis. Ergo non obligat omnes, quantum ad illa precepta, subindeque potest dari de illis ignorantia invincibilis, & excusans a peccato. Major constat. Minor vero sic ostenditur. Promulgatio seu intinatio legis naturae fit per dictamen rationis intimantis homini agenda, vel omittenda: Sed tale dictamen, quantum ad precepta quae sunt remotissima a primis preceptis universalissimis, non habetur ab omnibus; cum non habeatur, nisi

per discursum difficilem, & magno labore, & studio, cuius plures viri simplices, rustici, & ignari sunt omnino incapaces: Ergo lex naturalis non intinatur nec promulgatur omnibus, quantum ad precepta remotissima a primis preceptis universalissimis, omnibus notis.

Adde quod, nisi admittatur aliqua ignorantia juris naturalis, invincibilis, & a peccato excusans, sequitur incredibilem conscientiae perplexitatem. Immo & peccandi hic & nunc inevitabilis & dura necessitas; quotiescumque aliquis probabiliter & bona fide iudicat aliquid sibi agendum esse, neque posse omitti sine peccato; & tamen illud naturali iure illicitum est. Peccabit enim id faciendo, si nulla ignorantia juris naturalis excuset a peccato. Peccabit etiam non agendo, quia ager contra conscientiam, quae ipsi dicitur hoc esse agendum. Peccabit igitur quocumque se vertat, & sive hoc faciat sive non faciat, subindeque necessario peccabit, quod non solum est contra fidem dogmata, sed etiam contra prima luminis naturalis principia, nempe contra hoc principium: Nemo peccat in eo quod vitare non potest; quod D. August. lib. de duabus animabus c. 11. usque adeo notum, & per se manifestum asserit, ut non solum a nemine ignoretur, sed insuper a toto genere humano decantetur & declametur: Nemo (inquit) ista canant & in mentibus Pontificum, & indocti in circuitu, & docti in bibliothecis, & Magistri in scholis, & Aristoteles in locis sacris, & in orbis terrarum genus humanum.

Ex hoc sequitur aliud absurdum & inconveniens, nimirum plerumque esse fortunae, & non voluntatis, quod homines peccent, vel non peccent, & prout videlicet id quod agunt est conforme vel difforme iuri naturali ab eis ignorato quod etiam absurdissimum est; cum vera & sola causa peccati sit voluntas creata, ut operans difformiter ad regulam sit voluntas.

Nec valet si dicas, praeditam conscientiae perplexitatem, & peccandi duram necessitatem, esse voluntariam, indirecte & per accidens, his qui contra ius naturale peccant: quia oritur ex propria illorum culpa, & ex pravis habitibus & concupiscentiis, quibus divina illuminationi ponunt impedimentum. Licet enim hoc sit verum in his qui peccant ex ignorantia juris naturalis, prout continet precepta secundaria, quae ex primis per facilem discursum deducuntur, qualia sunt peccata non furandi, non mentiendo, non fornicando, & similia, ut in solutione argumentorum declarabitur; non tamen in illis qui ignorant precepta naturalia, a primis remotissima; quia illa non deducuntur ab illis, nisi magno studio & labore, atque difficili & longo discursu, cuius cum plurimi rustici ignari sint incapaces, nec interdum possunt ab illis instrui, illorum ignorantia non potest conferri voluntarie per accidens & indirecte, ex eo nempe quod eorum notitiae ponant impedimentum, sicut ignorantia preceptorum non furandi & similitum.

§. I.

Solvuntur objectiones.

Contra primam partem conclusionis nullum militat argumentum difficile, sed contra secundam obijciuntur primo: Ut aliquid sit peccatum debet esse voluntarium, quod usque adeo verum esse testatur Aug. lib. de vera Relig. c. 14. ut nulla doli, paucitas, nulla indolentia turba diffentia. Sed ignorantia juris naturalis factum est, prout involuntarium: Ergo excusat a peccato, subindeque invincibilis & inculpabilis est. Major patet. Minor probatur. Advertentia, seu cognitio malitiae, requiritur ut peccatum sit voluntarium, cum de ratione voluntarii sit esse a principio intrinseco, cum cognitione, ut ex eius definitione constat: Sed ignorantia juris naturalis, tollit advertentiam seu cognitionem malitiae actus mali qui eligitur: Ergo facit quod tale peccatum non sit voluntarium. Unde S. Thom. q. 3. de malo art. 8. ait: Cum aliquis nescit fornicationem esse peccatum, voluntarie quidem facit fornicationem, sed non voluntarie facit peccatum.

Huc difficili argumento varie respondent Auctores, in primis Iansenius ait ignorantiam juris naturalis, per culpam primi hominis in mentes hominum invecitam esse, unde cum culpa Adami sit hominibus voluntaria, quia omnium hominum voluntates, in voluntate Adami et capitis totius generis humani, quodammodo continentur: ignorantia juris naturalis, ex ea fluens & proveniens, ipsis voluntaria censetur, subindeque mala & culpabilis. Verum haec responsio & doctrina Iansenii differt de opin. prob. art. 6. a nobis impugnata est: ostendimus enim quod licet ad peccatum originale sufficit quod sit voluntarium voluntate capitis, non tamen ad rationem peccati actualis seu personalis, ut expresse docet D. Thom. in 2. dist. 30. q. 1. art. 1. his verbis: Oportet quod secundum hoc quod aliquid rationem culpae habet, secundum hoc ratio voluntatis in ipso reperitur. Sicut autem est quoddam bonum quod respicit naturam, & quoddam quod respicit personam: ita etiam est quoddam culpa naturae, & quoddam personae. Unde ad culpam

culpam personae requiritur voluntas personae; ad culpam vero naturae (id est originale peccatum) non requiritur nisi voluntas in natura illa. Idem constat ex August. lib. de duabus animabus cap. 12. ubi dicit, quod nec peccatum nec rita factum impetrari culpam iuste potest, qui nihil fecerit propria voluntate. Quibus ultimis verbis aperte declarat, ad peccatum actuale seu personale, non sufficere quod sit voluntarium voluntate capitis, sicut sufficit ad peccatum originale, sed requiri necessario, quod sit voluntarium voluntate propria illius qui peccat.

Respondet secundo Estius in 2. dist. 23. §. 14. quod ignorantia juris naturalis nunquam facit actum prorsus involuntarium, etiam qua ratione peccatum est, quia non facit ut malum prorsus ignoretur, semper permittit ipsum aliquo modo sciri. Quamvis enim qui haec ignorantia laborat, ignoret hoc malum quod agit, sub ratione generis, id est nesciat esse peccatum, novit tamen sub ratione speciei, cui naturaliter & essentialiter tale genus competit. Exempli causa qui mentitur officio, parans tale menacium esse dicitur, in quidem nescit tale menacium pertinere ad genus peccati, id est cogit non esse peccatum, scit tamen se mentiri, & proinde actum qui essentialiter malus est, voluntarie committit. Eadem est ratio in fornicatione, usura, simonia, ac ceteris per se malis, id est quae non ideo mala sunt, quia prohibentur sed ideo prohibentur quia illicita, quia mala sunt. Haec solutio & doctrina contraque videtur menti Augustini lib. 1. retract. cap. 15. sic dicens: Qui nesciens peccavit, nesciens peccatum esse quod fecit: ita nec tale peccatum sine voluntate esse potuit, sed voluntate facti, non voluntate peccati, quod fieri non debuit. Quibus verbis negat S. Doctor, operari ex ignorantia juris naturalis facta, esse involuntaria, quia si operans bene cognoscit actum intrinsece malum, ac legi naturali difformem, tamen ex sua culpa, non reflectit supra ejus malitiam, & supra difformitatem seu contrarietatem quam habet ad legem naturalem. Quod ut magis declaratur & elucidetur,

Respondet tertio ad objectionem, concessa majori, negando minorem, & ad ejus probationem dico, ignorantiam juris naturalis tollere quidem cognitionem seu advertentiam malitiae peccati, & difformitatis actus ad legem naturalem, non excusare tamen a peccato; quia licet talis carentia cognitionis seu advertentiae malitiae peccati, & difformitatis ejus ad legem naturalem, non sit voluntaria directe & in se, bene tamen indirecte & in sua causa, nempe pravis affectibus, concupiscentiis, & passionibus, quae voluntarie aliqui non reprimunt, & quibus divina illuminationi, & radiis legis naturalis, oblatulam culpabilem ponunt. Unde Ambrosius lib. de bono mort. cap. 9. Errat oculis, ubi errat affectus. Affectus ergo deceptio, est deceptio visus. Quia ut ubi observat, sic corruptus, quicquid ut concupiscit, non ut verum cognoscat. Quam rationem eleganter prosequitur in Psalm. 118. serm. 4. his verbis: Terra ista quam gerimus, meretricis nos quibusdam illecebris capit, & quasi vultus quosdam voluptatum corporaliumque delectationum facis illinit, ut liceat in his veritas, & forensi quodam specie decipiant appropinquantes.

Hanc solutionem & doctrinam recte explicat Cajetanus supra qu. 74. ubi haec scribit: Contrarias intrinseca ipsi peccato, a scienter peccante est scienter & per se voluta, ab ignorante aut errante, per accidens tripliciter: Primo ex parte actus, quia est voluta ad volitionem actus, Secundo ex parte ignorantia voluntaria, quia in ipsa voluta sunt voluti omnes ejus effectus, quorum unus est incurere in hoc contrarium. Sicut homo voluntarie oculis velatis incendens, vult in sua causa quidquid mali inde sequi natum est; unde si impingit in lignum aliquod, voluntarie impingit, voluntate causa, scilicet velationis, vel velati incensum. Tertia &c.

Ex his facile intelligitur & explicatur testimonium D. Thomae desumptum ex qu. 2. de malo art. 8. ubi ait: Cum aliquis nescit fornicationem esse peccatum, voluntarie quidem facit fornicationem, sed non voluntarie facit peccatum. His enim verbis solum intendit, quod cum aliquis nescit fornicationem esse peccatum, voluntarie quidem formaliter facit fornicationem, sed non voluntarie formaliter facit peccatum: quia facit peccatum non cum advertentia malitiae, sed ex ignorantia seu inadvertentia malitiae, per accidens voluntaria. Quod vero habet interpretatio legitima sit, constat ex verbis illis quod idem S. Doctor scribit in hac parte supra qu. 19. art. 6. Si ratio errans dicit quod homo tenetur ad uxorem alterius accedere, voluntas concupiscentis huic rationi erranti est mala, et quod error iste procedit ex ignorantia legis Dei, quam scire tenetur. Quibus verbis aperte declarat, ignorantiam juris naturalis (prout continet secundaria legis naturae precepta, quale est preceptum non fornicandi) non excusare a peccato, quia nimirum semper est voluta, saltem indirecte, per accidens, & in sua causa, modo superius explicato. Quod adeo verum est, ut Augustinus expositione inchoata in Epistol. ad Roman. de peccatis carnalibus doceat, ne in ipsis quidem pueris & adolescentibus a mortali malitia expurgari per ignorantiam.

Obijciens secundo: Potest dari ignorantia invincibilis &

excusans a peccato juris postivi: Ergo & juris naturalis; prout secundaria legis naturalis precepta complectitur.

Sed nego consequentiam & paritatem, cum enim jus naturale, prout includit precepta secundaria legis naturae, intimam habeat cum principis lumine naturali notis colligationem, & ex communissimis morum notionibus, in ipsis humane mentis medullis & visceribus indelebiliter impressis, certa connexionione dependeat, ejus notitiam quilibet in sua manu & potestate habet, nisi corrupta voluntatis pravitata fuerit impedita; ex quo fit quod tale jus, quantum ad illa precepta, non possit invincibiliter ignorari. E contra vero, cum ea quae sunt juris positivi, & pendent a libera voluntate legislatoris humani vel divini, nullam habeant cum principis lumine naturali notis connexionione, eorum notitiam non habemus in nostra potestate, subindeque de illis possumus habere ignorantiam invincibilem & inculpabilem.

Adde quod, ignorans legem positivam, & precepta quae ad illam pertinent, non cogitat se illorum scientiam debere comparare, nec aliquid lumen in se habet, in quo possit talem obligationem intrinsece sentire; secus vero est de ignorantia precepti secundaria legis naturae, nam ex conscientia ad illa illigantia, emergunt plerumque cogitationes hujusmodi quibus nullus homo per totam vitam caret, unde si aliqui talia precepta ignorent, ipsis imputandum est, qui conscientiam illorum admonentem audire noluerunt, vel ne moneret, voluntarium obicem posuerunt.

Obijciens tertio: Licet lumine naturali constet, actus intrinsece malos, & legi naturali repugnantes, secundum se & absolute consideratos; nunquam esse licitos, nec posse excusari a peccato; aliqui tamen existimant, eos esse bonos ac licitos, si considerentur ut vestiti circumstantia boni finis: V. g. licitum esse furari ad dandam elemosynam, mentiri ad conservandam vel recuperandam famulatum: Ergo potest dari aliqua ignorantia juris naturalis, prout complectitur precepta secundaria legis naturae.

Respondet in predictis casibus seu exemplis, ignorantiam vincibilem esse; potest enim vinci & depelli per istud principium lumine naturali notum, & cuiuslibet a natura institum: Non sunt facienda mala, ut evitentur bona. Ex quo quilibet ratione utens, facile colligere potest, non esse licitum furari ad dandam elemosynam, mentiri ad propriam vel alienam vitam tuendam, & multo minus sese polluere ad conservandam vel recuperandam sanitatem, immo nec ad vitandam mortem. Unde S. Castrius, gravi oppressus infirmitate, mori potius quam castitatis jacturam ex Medicoorum consilio subire, constanter voluit; & de Verino Poeta Gallo, hi verius extant posteritati consecrati.

Sola Venus poterat lenio succurrere morbo.

Ne se pollueret, malum ille mori.

Quare nedum improbabilis, sed & abominabilis est doctrina Caramuellis, afferentis in sua Theologia morali numero 1663. molliorem iure naturae prohibitum non esse; unde si Deus eam non interdixisset; nunquam esset mala, sepe esset bona, & aliquando obligatoria sub peccato mortali. Hoc probabilissimum monstrum in differtatione de probabilitate contrivimus, ubi & hos Martialis versus in Ponticum se polloquentem retulimus:

Hoc nihil esse putas? scelus est tibi crede, sed ingens,

Quantum vis animo contempsit esse tuo.

Ipsam crede tibi naturam dicere verum.

Istud quod dixisti, Pentite, perdit, homo est.

Obijciens quarto contra tertiam partem conclusionis: Nullum probabile falsum, & legi naturae diffonum, excusatur a peccatis, quae sunt contra jus naturale, quomvis appareat & existimetur verum, & legi naturae consonum: Ergo nulla profora datur ignorantia invincibilis & inculpabilis juris naturalis. Consequentia patet. Antecedens vero probatur primo triplici testimonio D. Thomae. Primum habetur quodlib. 8. art. 13. ubi S. Doctor ait: Istud quod agitur contra legem (aeternam vel naturalem) semper est malum, nec excusatur per hoc quod est secundum conscientiam. Secundum sumitur ex quodlib. 9. art. 15. ubi haec habet: Error quo non creditur esse peccatum mortale quod est peccatum mortale, conscientiam non excusat a toto, licet forte a tanto. Tertium habetur quodlib. 3. art. 10. ubi haec scribit: Nullus excusatur, si sequatur opinionem erroneam alicujus Magistri, in talibus omni ignorantia non excusat.

Probatur secundo ex SS. Patribus, qui id etiam aperte videntur docere: Augustinus enim epistol. 154. sic ait: Si quis bonum putaverit esse quod malum est, hoc putando utique peccat: ea sunt omnia peccata ignorantiae, quando quis quod bene fieri putat quod malo sit. Bernardus etiam lib. de precepto, & disp. cap. 14. haec habet: Sive itaque malum putet bonum quod forte agit, sive bonum malum quod operatur, utrumque peccatum est. Item Tertullianus de spectaculis cap. 20. Erramus (inquit) nusquam & nunquam excusatur quod Deus damnat: nusquam & nunquam licet, quod semper & ubique non licet.



Probatu tertio idem Antecedens ex hac definitione peccati a S. August. tradita. Peccatum est factum, dictum, concupitum contra legem Dei aeternam: Ergo omne opus a lege aeterna, & naturalis, qua est ejus participatio, diffidens, malum est & illicitum, quamvis bonum ac licitum existimetur. Unde D. Thomas supra qu. 19. art. 5. docet bonitatem voluntatis pendere ex lege aeterna.

Hac sunt praecipua fundamenta illorum qui docent, nullam proflus dari posse ignorantiam juris naturalis, qua non sit invincibilis & culpabilis, quibus facile responderi potest, juxta principia a nobis statuta: Unde ad primum locum D. Thomae respondeo, illud quod est contra legem, semper esse malum, nec excusari per hoc quod est secundum conscientiam erroneam: errore crasso & affectato, qui non excusat a peccato, bene tamen id quod est secundum conscientiam erroneam errori invincibili, quem a peccato eximere docet S. Doctor, non solum locis in tract. de peccatis cap. 5. relatis, sed etiam in illo art. 13. quodlibeti 8. in argumento, sed contra, ubi sic ait: Si aliquis habebit diligentiam, inquirens an habere plures praedictas sit licitum, nec invenit aliquid quod ipsum moveat ad hoc quod sit illicitum, videtur quod sub peccato plures posse praedictas habere: At fieri potest quod sit contra legem divinam habere plures praedictas: Ergo ex S. Thoma ille non peccat qui ex ignorantia invincibili facit aliquid legi divinae repugnans. Unde idem S. Doctor in eodem quodlibeto art. 15. sic ait: Error autem conscientiae quandoque habet vim absolutam seu excusandi, quando scilicet procedit ex ignorantia ejus quod quis scire non potest, vel scire non tenetur. Ex quibus liquet nostram interpretationem legitimam esse: Unde traditur a S. Antonio x. p. tract. 3. cap. 10. §. 10. ubi ait: hac verba D. Thomae (quibus asserit in dicto quodlibeto illud quod est contra legem semper malum) non possunt intelligi nisi de his ubi manifeste patet ex Scriptura vel determinatione Ecclesiae quod sit contra legem Dei, & non de illis intelligi ubi non apparet, alias sibi contradiceret.

55 Ex his patet responso ad alium locum ex quodlib. 9. delumptum, quando enim S. Doctor ait, Error qui non creditur esse peccatum mortale quod est peccatum mortale, conscientiam non excusat a vero, licet forte a tanto, loquitur de errore crasso & affectato, vel de errore vincibili qui oritur ex negligentia addiscendi, non vero de errore invincibili & inculpabili. Idem proflus dicendum ad tertium textum quodlibeti 7. art. 10. ubi ait quod nullus excusatur, si sentiat opinionem aliquam Magistri: hoc enim intelligendum est de eo qui ex ignorantia vincibili & culpabili opinionem illam sequitur; scus vero de illo qui invincibiliter & culpabiliter talem errorem ignorat.

56 Ad testimonia SS. Patrum similiter dicendum est, illos tantum locis adhaerere significare voluisse, eos qui ex errore crasso & affectato, aut errore vincibili, qui oritur ex negligentia addiscendi, putant bonum esse quod malum est, aut malum quod bonum est, peccare ex conscientia erronea, qua non excusat a peccato, ut in tractatu de actibus humanis offensum est. Unde quando Tertullianus ait, nunquam excusari quod Deus damnat, hoc debet intelligi quando scienter & voluntarie fit, vel quando fit ex errore vincibili, non vero si ignoranter & involuntarie fiat, vel ex errore invincibili.

Ad tertiam probationem delumptam ex definitione peccati, respondeo quod quando D. August. definit peccatum, factum, dictum, vel concupitum contra legem aeternam, hoc intelligendum est de lege aeterna, ut intimata & participata a dictamine rationis, quod est proxima regula actuum humanorum, & quaedam aeterna legis impressio, participatio, & denuntiatio, ut docet S. Thomas supra qu. 19. art. 4. Unde quando lex aeterna per cognitionem intellectus, seu dictamen rationis homini non intimatur, sed invincibiliter & inculpabiliter ignoratur, seu quando nullum est dictamen rationis prohibens actum, quamvis legi aeternae contrarius sit, non est peccatum formaliter, sed tantum materialiter. Ex quo intelliges, quod quando D. Thomas ait, bonitatem voluntatis pendere a lege aeterna, loquitur de lege aeterna, & ut per divinam revelationem aut dictamen naturale rationis nobis intimata, ut patet ex solutione ad 3. ubi sic ait: Licet lex aeterna sit nobis ignota secundum quod est in mente divina, innotescit tamen nobis vel per rationem naturalem, quae ab ea derivatur ut propria ejus imago, vel per aliquam revelationem superadditam.

57 Dices: Idem S. Doctor quodlib. 8. art. 13. docet duobus modis aliquem peccare, videlicet agendo contra legem Dei & agendo contra conscientiam, ita ut ad peccandum sufficiat alterum ex illis duobus: Ergo censet ad peccandum non requiri necessario intimationem legis aeternae, vel naturalis, qua fit per dictamen conscientiae.

Sed nego consequentiam, ut enim supra ostendimus, D. Thomas ibi non loquitur de conscientia secundum se & absolute considerata, prout importat dictamen rationis, legem aeternam aut naturalem intimantem: sed de conscientia erronea, errore crasso & vincibili. Unde solum in-

tendit, quod ut aliquis aetas sit bonus, requiritur quod sit secundum legem divinam & secundum conscientiam talem legem nobis intimantem; ut vero sit malus, alterum ex his duobus sufficit, nempe vel quod sit contra legem divinam, tamen non sit contra conscientiam; vel quod sit contra conscientiam erroneam, licet non sit contra legem divinam: quia conscientia erronea non excusat a peccato, sed illud causat, ut idem Doctor Angelicus docet supra qu. 19. art. 5. & 6.

Objicies ultimo: Plures antiqui Theologi, eruditione insignes, ut Alanus, D. Bonaventura, Albertus Magnus, Durandus, Hugo Victorinus, Guillelmus Parisiensis, Altiisiodorensis & alii, docent nullam dari ignorantiam invincibilem juris naturalis. Unde Gerson lib. de vita spirituali lect. 14. corol. 3. testatur eam sententiam suo tempore inter Theologos fuisse concordem: Quia quod sit (inquit) de ignorantia facti, aut juris humani positivi, concors est sententia, nullam in his quae legis divinae sunt, concors ignorantiam invincibilem. Id etiam videtur docere D. Thomas 3. p. qu. 89. art. 4. ad 5. his verbis: Hoc quod non habet aliquis conscientiam sui peccati, potest contingere dupliciter: uno modo per culpam suam, vel quia per ignorantiam juris, qua non excusat, repensat non esse peccatum quod est peccatum; puta si quis fornicator reputaret simplicem fornicationem non esse peccatum mortale, &c. Quibus verbis aperte declarat ignorantiam juris naturalis non excusare a peccato, subindeque non esse invincibilem & inculpabilem, sed culpabilem & vincibilem. Unde Gratianus x. qu. 5. Ignorantia (inquit) juris naturalis, omnibus adultis damnabilis est.

Respondeo quod quando illi celebres & antiqui Theologi docent, nullam dari ignorantiam invincibilem juris naturalis, loquuntur de jure naturali, ut dicta notissima illa & generalissima principia morum qua nullo indigent discussu, sed statim habita notitia terminorum, ipso lumine naturalis rationis, innotescunt, vel de aliis quae per facilem discursum ex illis deducuntur, non vero de illis quae non nisi longo ac difficili discursu ex primis deduci possunt, de quibus asserimus dari posse ignorantiam invincibilem. Eodem modo intelligendum est S. Thomae cum ait quod ignorantia juris non excusat a peccato, loquitur enim de ignorantia juris naturalis, quae addit praecipua secundaria legis naturae, quae ex primis sine labore, & per discursum facilem deducuntur, ut constat in exemplo quod asserit de fornicatione; praecipuum enim non fornicandi, ad secundaria legis naturalis praecipua pertinent. In eodem sensu intelligi & explicari debet Gratianus, dum ait quod ignorantia juris naturalis, omnibus adultis damnabilis est.

ARTICULUS IV.

Utrum lex naturae pati possit mutationem, dispensationem, derogationem, vel derogationem, & interpretationem, vel epikiam?

§. I.

Quibusdam praemissa, statuuntur quatuor conclusiones quibus resolvuntur difficultates propositae.

Notandum primo, duplicem posse dari vel concepti mutationem legis: unam proprie dictam, quando lex ipsa mutatur in se, vel quia definit in se, ut quando ad tempus lata est, quae finito cessat, vel cum de justa fit injusta, vel quia abrogatur a superiore, vel quia restringitur per dispensationem, aliam impropiam & large sumptam, quando nimirum fit mutatio ex parte materiae legis, per quam ipsa definit esse materia legis, & subjicere ejus obligationi, qua mutatio maxime locum habet in his quae pendent ab humano consensu & voluntate mutabili, ut in votis, juramentis, matrimoniiis, & similibus.

Notandum secundo, dispensationem legis differre ab irritatione, abrogatione, derogatione, & interpretatione ejusdem, quod dispensatio fit quando quis in aliquo casu ab obligatione legis eximitur, aliis ad legem ipsam manentibus obligatis; exempli gratia, infirmus dispensatur a lege jejunii propter suam infirmitatem, aliis qui sani sunt ea lege obstrictis: irritatio, quando obligatio legis aboletur & aufertur ab aliquo, antequam per eam perfecte obligetur, ut quando vota filiorum impuberum irritantur a parentibus, cum enim nondum annos pubertatis attingerint, nondum perfecte per hujusmodi vota obligantur, adeoque locus est ea a parentibus irritandi. Abrogatio est, quando lex absolute tollitur, sive aboletur, sive per contrariam legem & consuetudinem, sive desuetudinem, ut lex Apostolorum de abstinendo a sanguine & fisco: quo jamdudum desit, nec amplius obligat. Interpretatio vero, quando declaratur legem in aliquo casu minime obligare, sicut communiter dicitur ad dispensationem legis opus esse potestate & jurisdictione; ad interpretationem vero & declarationem, scientia & prudentia.

Notat-

60 Notandum tertio, epikiam ex Philosopho 5. Ethic. 10. esse legis emendationem, ubi desit propter universale. Cum enim lex debeat esse universalis, & legislator singulos casus praevidere non possit, contingit ut in aliquo erret, & tunc utitur epikia, per praesumptam voluntatem legislatoris contra verba legis, quod, si tale desisset, in tali casu non obligaret. Verum, ut recte observat Cajetanus 2. 2. q. 120. art. 1. duobus modis potest lex deficere in aliquo particulari, negative scilicet & contrarie. Deficit negative, quando ita desit, ut si servetur, nihil mali sequatur: contrarie, quando injustum est illam servare. In secundo tantum casu locum habet epikia, in primo, servanda est lex, cum semper praestet custodia legis, quando nihil mali ex ea sequitur. His praemissis, pro resolutione primae difficultatis in titulo propositae.

61 Dico primo, legem naturalem non posse pati mutationem proprie dictam; bene tamen impropiam; seu ex parte materiae.

62 Prima pars, quae est D. Thomae hic art. 5. facile potest suaderi ex dictis in primo notabilibus. Nam, ut ibi dicebamus, tunc mutatio legis proprie dicta contingit, quando lex ipsa mutatur in se, vel quia definit in se, ut quando ad tempus est lata, vel cum de justa fit injusta, vel quia abrogatur a superiori, vel ab illo per dispensationem restringitur: At nullo ex his modis lex naturae mutationem pati potest, non enim potest per seipsam definire, quia non est lata ad tempus, sed sine termino. Neque potest de justa fieri injusta, cum nihil praecipiat, quando non sit intrinsece & ex natura rei bonum: nihil prohibeat, quod non sit intrinsece & ex natura rei malum; neque enim bonum aut malum facit, sed offendit. Non potest etiam a Deo abrogari, vel per dispensationem restringi, ut ex infra dicendis constabit; Ergo mutationem proprie dictam pati nequit.

63 Quod vero mutatio impropiam, & ex parte materiae, in eam cadere possit, manifestum est: materia enim circa quam lex naturae versatur, non semper eodem modo se habet; sed interdum variatur, propter aliquas circumstantias occurrentes, unde fit illud quod erat de lege naturae, postea non fit de lege naturae: v. g. de lege naturae est, quod depositum sit reddendum, quando res in deposito constituta non petitur in damnum alicujus; sed quia potest contingere quod petatur in alicujus perniciem, tunc mutatur materia legis depositi, ratione cuius lex ipsa de reddendo deposito improprie mutatur, nam aetate dictabat depositum esse reddendum, quando scilicet non considerabatur haec circumstantia, modo vero contrarium dicitur, ratione talis circumstantiae. Propterea tamen ratio formalis talis legis non variatur, quia haec formaliter loquendo non fertur in rem absolutam consideratam, sine debitis circumstantiis, sed ut fiat subijctis; dicitur enim depositum esse reddendum, non utcumque, sed dum non petitur in perniciem alicujus, & non aliter: hoc autem nunquam variatur, nec variari potest, est enim intrinsece bonum, sicut colere Deum, & honorare parentes.

64 Dico secundo, nullam potestatem, neque humanam, neque divinam, posse dispensare proprie in lege naturali, relaxando obligationem, immutata materiae praecipui, bene tamen improprie, mutando materiam ex qua proxime legis obligatio oriebatur. Ita communiter docent Theologi, paucis exceptis, qui existimant Deum in omnibus, vel saltem in aliquibus Decalogi praecipuis, dispensare posse. Pro qua sententia referuntur D. Bonaventura, Scotus, Gabriel, Ocham, Durandus, & alii ex antiquioribus Theologis.

65 Probatu prima pars ratione fundamentali: Dupliciter tantum intelligi potest, quod fiat dispensatio in lege naturae primo, manente illicito, ac inhonesto, & naturae rationali, diffonso actu in quod dispensatur, mendacio v. g. vel adulterio: secundo ita quod per dispensationem actus desinat esse illicitus, & inhonestus, atque naturae rationali diffonso: Sed neutro modo fieri potest dispensatio in lege naturae: Ergo repugnat, ullam potestatem, humanam, vel divinam, proprie & directe dispensare in lege naturae. Major patet, Minor etiam quoad primam partem videtur manifesta, si enim Deus ita lege naturali dispensaret, ut homo eliceret aliquem actum, qui non obstante dispensatione maneret illicitus, inhonestus, & naturae rationali diffonso, dispensaret illum, ut peccaret, & actum intrinsece malum eliceret, quod infinita ejus facultatis repugnat. Probatu vero quantum ad secundam partem, quia praecipua negativa legis naturalis prohibent tantum actiones per se, intrinsece, & ex natura sua

Theol. Genet. Tom. III.

malas, & dissentaneas naturae rationali, ut mentiri, furari, adulterium committere, falsum testimonium proferre, &c. Sed bonitas aut malitia intrinseca actus, non pendet ab intrinseca voluntate Dei, sed intrinseca naturae objecti, suis omnibus circumstantiis affecti: Ergo sicut Deus efficere non potest, ut quod est ex se tale, maneat invariatum quoad omnia, non sit tale, ita nec efficere poterit per dispensationem, ut actus lege naturae prohibitus, & naturae rationali diffonso, manens invariatus quoad omnia, non sit inhonestus & moraliter malus, non minus quam implicat, ut calor, invariatus quoad suam essentiam, fiat conaturalis aquae.

Quod diximus de praecipuis negativis legis naturae, idem cum proportione dicendum est de affirmativis; praecipua enim affirmativa legis naturalis, obligant tantum in illis occasiombus, in quibus omisso actus praecipui effectus intrinsece & per se mala: Ergo haec omisso non potest non esse mala, & fieri nequit ut per dispensationem adimatur illi malitia, ita ut actus illi omissioni oppositus, non sit adhuc moraliter necessarius.

67 Potest insuper eadem pars suaderi ratione quam insinuat S. Thomas infra q. 100. art. 8. Praecipua quae continent ipsum ordinem ad bonum commune, vel ipsum ordinem justitiae & virtutis, indispensabilia sunt: Sed praecipua Decalogi, quae ut art. 2. ostendimus, continent ad legem naturalem, continent ipsum ordinem ad bonum commune, ipsumque ordinem justitiae: Ergo in eis non potest fieri proprie dispensatio. Minor est certa, praecipua enim primae tabulae, quae ordinant ad Deum, continent ipsum ordinem ad bonum commune & finale, quod est Deus: praecipua autem secundae tabulae, continent ordinem justitiae inter homines observandam, ut scilicet nulli fiat indebitum, & culibet reddatur debitum. Major vero a D. Thoma sic probatur: Si poneretur hujusmodi praecipua in aliqua communitate, quod nullus desisteret Rempublicam, neque proderet civitati hostibus, aut quod nulli fiat indebitum, procul dubio essent omnino indispensabilia, quia nimirum ipsum ordinem ad bonum commune, ipsumque ordinem justitiae continent: Ergo praecipua quae continent ipsum ordinem ad bonum commune, vel ipsum ordinem justitiae, indispensabilia sunt.

Secunda vero pars conclusionis, quae asserit, Deum in praecipuis naturalibus improprie dispensare posse, mutando materiam ex qua legis obligatio oriebatur, docetur ibidem a D. Thoma in resp. ad 3. & 2. a. q. 254. art. 2. a. 2. constabique ex dicendis in solutione tertiae objectionis. Et in hoc sensu loquuntur plerique Auctores, cum dicunt Deum dispensare posse in praecipuis naturalibus, scilicet non relaxando obligationem, immutata materiae praecipui: sed mutando materiam, vel aliquam circumstantiam, ex qua proximo oriebatur obligatio legis. In eodem sensu intelligendum est & explicandum quod scribit D. Bernardus lib. de praecipio & dispensat. non longe ab initio, ubi sic ait: Necessarium danda, quod in violabile nominavi, illud intelligi, quod non ab homine traditur, sed divinitus promulgatum, nisi a Deo qui tradidit, mutari omnino non potest, ut exempli causa, non occidere, non machaberi, non furari facies, & reliqua illius tabulae legis scripta, quae est nullam proflus humanam dispensationem admittant, nec cuiquam hominum ex his aliquo modo servare aut licere aut licetis: Dominus tamen eorum, quod voluit, & quando voluit, solvit: sicut cum ab Hebraeis Aegyptio solvitur, sive quando Prophetam cum muliere fornicaria miseri voluit. De quo suffus in solutione tertiae objectionis.

Dico tertio, lex naturae nunquam potest abrogari, 68 nec illi unquam derogari.

Patet haec conclusio, tum quia obligatio legis naturalis oritur ex ipsa rerum natura, quae mutari non potest, tum etiam, quia lumen naturale, seu fynderesis, a qua lex naturae procedit, non potest in homine totaliter extingui; vel aboleri: Ergo neque lex ipsa naturae abrogari. Unde Augustinus lib. 2. Confess. cap. 5. Lex tua Domine (per quam intelligit naturam) scripta est in corde nostro, quam nulla unquam delet iniquitas. Et Tullius apud Lactantium lib. 1. de Divin. Instit. cap. 8. Haec legi (nempe naturali) nec praevigari fas est, nec derogari ex hac aliquando licet, neque vasa abrogari potest: nec vero aut per senatum, aut per populum hac lege liberari possumus. Per nullam ergo consuetudinem aut desuetudinem legi naturali derogatur, quippe cum consuetudines illi contrariae debeant dici potius corruptela, quam consuetudines: quo sensu dicebat Augustinus, Christum, cum venit in mundum, non dixisse, Ego sum consuetudo, sed ego sum veritas; ex quo praclare infert, consuetudinem contra veritatem inductam, qualis est ea quae contra jus naturae pugnat, esse vtilitatem erroris. Unde Codice Cum tanto, de consuetudine, dicitur quod consuetudo nunquam praescribit contra jus naturae, nimirum, jus naturale pravalet positivo humano.

Dico quarto, simplex interpretatio locum habere potest in lege naturali, non tamen epikia.

Y

Prima